

*Causa efficiens  
Poenit.  
principal.*

§. 22. *Causa efficiens poenitentiae principalis est solus DEVS, adeo, vt homo in societatem huius operis efficienter concurrere nullo modo possit.*  
*Probatur*

- I. *Ab expressa littera. Ier. XXXI, 18. 19. Vnde euidenter patet, quando homo conuertere seipsum dicitur, id passiuè, non actiuè esse intelligendum, ad eum modum, quo nauis vertere se dicitur cum a nauclero vertitur.*
- II. *Ab negato homini extra gratiam constituto omni libero arbitrio, seu viribus ad spiritualem vitam se conuertendi. 1. Cor. II, 14. 2. Cor. III, 5. Qua de re fusius in articulo de libero arbitrio actum.*

*Causa efficiens ministerialis  
et organica.*

§. 23. *Causa efficiens ministerialis est ministerium ecclesiasticum, quod hunc ipsum in finem a DEO constitutum est, vt homines ad poenitentiam et reconciliationem cum DEO inuiter. 2. Cor. V, 20. Quod etiam prophetae et apostoli omnes singulique fideliter executi sunt, quippe quorum conciones pleraeque sunt poenitentiales. Causa organica est verbum et sacramenta, et quidem verbum legis, respectu contritionis, quam lex operatur, Rom. III, 20. VII, 7. Euangelium vero respectu fidei.*

*De Subiecto poenitentiae.*

§. 24. *Subiectum poenitentiae ex intentione diuina est omnis homo in statu peccati constitutus. Neque enim quispiam hominum etiamsi millies lapsus fuerit, a spe veniae per poenitentiam*